

eiusmodi aliquando per plures annos visitur & occurrit, citra vllam noxam vltiorem ; imo cessat quoque iterum.

An increfant magis & frequententur, quam imminuantur ; id enim, augeri malum, & grauiora hinc minari arguit, præsertim, quod præcipuum est, & semper vna notandum, an *visus simul fiat debilior, an alia quoque concurrant.* Hinc etiam mutantur figuræ, nec vnæ manent, quas vtplurimum ægri depingere quoque exacte sæpe norunt, & referre.

Quamdiu durauerint simulacra ista oculis occursantia. Sunt, qui ad certum tempus definiunt & restringunt illorum prælagium, ita vt sextum v. g. mensem supergressa quasi præscriptionem dent, non imminere vel metuedam esse suffusionem, sed leuiorem metum esse. Id vero non est perpetuum, neque tam tempus est spectandum, quam humorum qualitas, spirituum & naturæ robur vel debilitas ; imo etiam intra illud tempus quandoque sæpe enascitur cataracta, & longius tamen durat vtplurimum. Vir quidam LXX. annorum per X. & plures annos initia habuit cataractæ, & seruatus tamen est visus, in illud vsque tempus nondum confirmato obice.

An successiue visus imminuatur, & abolitionem seu cæcitatem minetur; an subitanea cæcitas ex improviso accidat. Illud frequentius & magis ordinarium, gradatim malo magis magisque cum ætate aucto, facta sensim sensimque maiori concretionem. Accidit tamen aliquando, vt nulla remora prius præsentem vel obuia, simul ac semel quasi, vel paucis diebus cæcus quis reddatur. Vt fieri potest apoplexia, obstructo in maiori membro
prin-